

8-13-6-16 6

C. PERVSCHI ISIDORI

Episcopi Alerinatium.

46

De Diuitiis & Paupertate.

Α Γ Α Θ Ο Σ


E
V
E
N
T
V
S



B
O
N
V
S

Δ Α Ι Μ Ω Ν

ROMAE. M D L V I.



4

THE




LIBRARY

LIBRARY


UNIVERSITY

OF MEDICAL SCIENCES



C. PERVSCHI ISIDORI EP
SCOPI ALAETRINATIVM,

De Diuitiis & Paupertate.



MILITES diuitiarum appetentes & voluptatibus captos esse oportere nonnulli existimauerunt, ea adducti ratione, quod appetitionibus incitati promptius, atque audacius se in pericula iniiciant, magna enim facinora cupiditatum lenociniis delinunt libentius aggrediuntur. Quod si discrimina aduenda sint ingentia, nisi sensus vehementi aliqua causa moueantur, ut quodam quasi impetu rapiantur, illa horrent, ac reformidant, propterea honoribus alii videntur artes, & illis quasi praemiis ad virtutes capeffendasque incitari: veluti qui disciplinis operam nauant, saepe diuitias illinc, quibus honores, & dignitates adipisci, communitates, & voluptates percipere sperant, sibi comparare student: quod si propterea pauperes sese futuros arbitrarentur, tot labores non perferrent, tot pecunias non profunderent, tantum in consequendis temporis non ponerent: Pauci sunt qui sola gloria cupiditate, aut virtutis iucunditate ducantur: maxima esse possunt illecebrae ac incitamenta diuitiarum ad dura quaeque subeunda: pro quibus adis

A ii

piscendis multam vnumquēq; laborare videmus:
de his quę scripta fuerint libenti sane animo quęli
bet reor perlecturum, secus uero accidere ei quę de
paupertatis commoditatibus audire differet.
Nam neminem noui qui pro ill'as oneribus susci
piendis elaborarit, qui immo ut illam vitet, ac pro
pulsset pene vnumquēque summo opere niti
insudare; Qui maiorem adipisci laudem soleat,
uē lenius, iucundius, ac tutius vitam transigere pos
sint, vel qui diuitiis augentur, vel qui in paupertate
degunt: haud facile ostendet, qui quod a con
suetudine & opinione multorum valde est alienū
ostendenda sibi sumpsit. Quę cōmuni omniū
ferē consensu probari videntur, quis tam acri inge
nio est, qui aliter ac visa sint demonstrare vel proba
re audeat: Non eo inficias aliquos reperiri, qui pu
tent magnam se gloria consequi, si quę sunt præ
ter aliorum opinionem, & consensum, noua quasi
inuenta excogitantes, nō tam veritatem indagare,
quam admirationem mouere cupientes, suadere co
nantur. Quod si ego fatius ac melius esse in pau
pertate degere, quam in diuitiis lasciuire dixerim,
quāuis verissimis, ac firmissimis rationibus, & argu
mentis ostendere conarer, in illorum tamen incide
re viderer ambitionem. Quare ne hoc pacto sim: le
gi ambitus obnoxius, miris laudibus paupertatem
haud extollam: verum ita de ea, & de diuitiis disse
rere conabor, illatumq; pprietas, & effectus quasi
quosdam enitar explicare, ut tutius quid sit, ac ma
gis salutare sectari, legentibus relinquam diiudicā
dum: comparatæ inehercules melius discerni pote
runt,

runt, quam si de vna tantum differeretur: nam quo
rum contrarii sunt fines, similia vt intelligantur
vicia esse consueuere. Nemo est qui non cōsen
tiant mōta hominibus saluari, & Deo iucunda sa
pe ex diuitiis efficiere: Diuitiis nanque affluen
tes interdum templa magnitudine eximia, constru
ctione excellentia, pictura præclara, statuis mirabi
lia, signis conspicua, exquisita deniq; artis solertia,
& acuminè singularia construxere: iidemq; sæpe
sacerdotibus qui Deum colere etiam possent cen
sus vberes sunt elargiti, pauperibus aliquando cō
meatum, & alimenta præbuere: Hospitia publica
priuata pecunia crexere: Diuites interdum publi
cas res priuatasq; opibus adiuti, honore, & virtute
decorauere, Quanto interdum auxilio fuerint his,
qui disciplinæ operam nauare voluerunt, ostende
re possunt gymnasia, Academiæ, literatorum colle
gia ab his adiuta, atq; instituta: necnon magnæ li
brorum copiæ comparatæ, quibus publicæ fuerūt
bibliothecæ repletæ: Quid quod vias interdum lō
gissimas lapidibus ad publicam vtilitatem strauer
int, maxima thesauris impensa construxerint, sæpe
fora, & curias, columnis, pyramidibus, obeliscis,
statuis, & signis, & clarissimis monumentis exorna
uerint, ingenti aquæ ductus pecunia per longissi
mos tractus deduxerint, fluuios in commodiores
cursus deflexerint, paludes exiccauerint, portus æ
dificauerint, dicendum: Diuites interdum plebi
annonæ caritate oppressæ maximam tritici copiã
suppeditauiere, cuncto populo affatim cengiaria vi
ritim distribuere, magnificas lautissimasq; epulas

præbuerunt, tyrannos de occupato regno deiecerunt, ci-
ues sæpe de propria salute despondentes confirma-
uere: Diuites denique sæpe publicis, priuatisque
bus profuere. Non sum nescius quod de diuitiarum
utilitate verba faciens minime multo dicendi artis
ficio indigeat ad persuadendum, cum illas ferme
omnes appetentes sibi persuaferint illinc honores,
& animi, & corporis ornamenta, comparari, ac pro-
pterea bona vulgo nuncupari: pecunia gloriam, pe-
cunia insignem perpetui nominis famam, pecunia
disciplinas, pecunia eximias laudes, pecunia auras
populares, pecunia principum gratias, pecunia ho-
nestas artes, pecunia literarum studia, pecunia om-
nes voluptates, omnes iucunditates, omnes com-
moditates comparari posse, ac denique non solum apud
homines, sed etiam apud Deum gratiam iniri, iras-
tumque placari posse contendunt, ac propterea bo-
na appellari & esse putant, & inde omnia com-
moda, magna, & diuina bona proficisci arbitrantur. Verum
si stoicos audierint disputantes, eorumque doctissi-
ma diligenter, atque accurate scripta peruoluerint,
argumenta & rationes perpēderint, longe aliter iu-
dicabunt: nec pecunias, nec tecta magnifica, nec op-
timas villas, neque opes, neque imperia, neque eas
quibus ferè omnes astricti sunt voluptates in bo-
nis semper rebus esse numerandas ducent, ac siquã
rara ex illis comoda contingant, quam verò cre-
bra incommoda, & detrimenta sæpe & sapius eue-
niant, quæ & quantæ malorum occasiones oriri so-
leant, considerauerint: tot eas discrimina, & diffi-
cultates, tantam labem, ac perniciem circumstare

conspiciunt: vt tutius ac magis salutare fore arbi-
trentur, Fabritii indigentia, quam Luculli affluentia
letari: Horatii paupertatem, quam Chresi diuitias
sequi: Codri mendicitatem, quam Aesopi tragedi
opulentiam sectari: Aeliorum egestatem, quam Cras-
si diuitias quaerere: Aristidis inopiam, quam Dios-
coridis opes nancisci: Epaminondæ tenuitatem quam
Cyri gazas consequi. Soleo equidem mecum ipse
saepe reputare ac perpescere, mirariq; quid sit, quod
ceterorum omnium cum illis potitur desiderium
expletur, atque extinguitur: uerum opum, ac diui-
tiarum cupiditas quanto illa magis crescunt, tanto
magis augetur: Quare interdum adducor vt cre-
dam, non magis naturalem esse appetitum, quam
aegritudinem quandam, & insaniam, furorisq; specie:
non secus ac si quis aestu febreq; iactetur, duplicato,
iteratoq; haustu sitim sedare nequit: sed quanto
magis bibit tanto minus releuatur, & magis biben-
di cupiditas adaugetur: ita hi qui quaerendis, ad-
piscendisq; opibus impense operam nauare ceper-
int saturi fieri nullo pacto possunt: uerum cum
fortunarum accessionibus habendi desiderii effertur
incrementum: nec satis sibi esse putant sua tue-
ri, ac moderari, & illis frui, sed & alienis inhiant, &
rerum suarum quasi oblitii, illa experunt, illa cupi-
unt, illis insidias tendere, illis fraudes parare, illis
dolos adhibere, non desistunt, itaq; lucri causa om-
nem turpitudinem, atq; obscenitatem subire non
pertimescunt, omni sese dedecori summittere non
reformidant. Hi vt indigentes alant eisq; opem fer-
rant, quæ inter homines charitas est maxima, non

est expectandum : nam quemadmodum leo
num esse pastus tímidi lepores consuetere , ita
& ditiorum cibus inopes esse sæpe solent , quos
vorant , in quos grassantur , & cuti tanquam hí
rudines inhærentes eorum sanguine refertiuntur ,
modum non adhibent vt his quæ fortuna clargita
est contenti sint , indagantur , perquirunt , vt maio
ra in dies assequantur : non enim satis est illis ma
ximas facere pecunias , non amplissima habere pa
trimonia , non copiosissimam supellectilem , non a
gros longè plures quam quot Alcibiades possidēs
gloriabatur , regna inuadere conantur , pecunias im
perare , pecunias exigere , pecunias capere non desis
tunt , omnes vias pecuniæ norunt , & omnia pecu
niæ causa facere non erubescunt : Hinc furta , hinc
rapinæ , hinc cædes , hinc bella , hinc odia , hinc inimi
citiæ , hinc simultates , hinc periuriæ , hinc simulatio
nes , hinc adulationes proueniunt : Hinc lites , iur
gia , contentiones , oriuntur : quod nam malum re
periri potest quod huius causa non fiat : quid tam
sanctum , atq; syncerum est , quod hac nõ violetur :
propterea iudicia , curiæ , magistratus reperti , amo
ue pecunias , excute avaritiam , extermina habendi
cupiditatem , tribunalia vacua relinquētur , iudices
cessabunt , magistratibus nõ erit amplius opus , Tã
ta diuitiæ labe sæpe animos inficiunt , vt ad omne
durissimæ conditionem seruitutis obeūdã , & ad
turpissima , & scelestissima quæq; patranda inducãt :
Quid : quàm amicis , inimicis , seruis , familiaribus , af
finibus , consanguineis , optimatibus , popularibus ,
patritiis , plebeiis , magistratibus , principibus , iudici
bus ,

bus, procuratoribus, aduocatis, ciuibus, paganis, &
aliis faciant esse obstrictos, deuinctos, obnoxios, et
narrem: Quid offensiones quas inuidia, & odii ex-
citare solent? Quid formidines, & pericula, in quæ
iniciunt esumerem? Quid obsequia inuita, in cos
etiam quæ tanquam mylorum vltimi queant existi-
mari: Quid coacta obleruantia onera, quæ vel ne-
cessitate, vel timore sustinere compellunt, explicem:
quid feda adulteria, quid flagitiosas libidines, quid
nescarios luxus diuitum conincemorem? quæ graui
hominum animos seruitutis iugo opprimunt. Quid
insolentias fastidia superbias, arrogantias, contu-
macias diuitum referam: quæ animi magnitudinẽ
imitari videntur, ac propterea fortes, & magnanimi
a multis reputari: verum non superciliorum contra-
ctio, vel remissio, non frontis ruga, non aliorum con-
temptus, & despicientia fortes vel magnanimos effi-
ciunt: sed hæc sunt manifestissima fracti, duri, vel
rustici animi indicia: ueluti cum timidos, tena-
ces, auaros videmus, demissi planè, abiectiq; ar-
gumenta facere valemus: Constat enim animi ma-
gnitudo temperatione quadam, quæ in periculosis
constantem, in dubiis non vecordem, in peccatis re-
bus non arrogantem, vel effeminatum præsert. lo-
gum esset enumerare, quæ vitia ex effrenata diui-
tiarum auaritate erumpunt, Criminibus enim infini-
tis implicata est, etenim cum se quis dedere huic ce-
perit difficile inde eximi potest, veluti cum aues no-
ctuarum ludicris, vt illas ad se alliciat illecebris ludi-
ficanti appropinquantes in calamos visco oblitos
incidunt, pedes captantur, cumq; illos retrahere

B

volunt, dum vno liberantur, alio inhaerescunt, alas
extendunt, pedes eximunt, alis calamo conglutinā
tur, alteram enixe vix extrahunt excutientes, cū al
teram viscus remoratur, atq; ita tādē aucipis præ
da illusa, & decepta efficiuntur: ita hi qui auaritię
lænociniis deliniuntur, quod ferme omnibus his
qui diuitiis comparandis animum applicauerē con
tingit, difficile inde sese eximere possunt, cum cas
ptiui multis ac variis distineantur modis, depraua
to enim animo recti iudicii ratio etiam deperit, ita
vt quæ videantur, non quæ sint, honesta reputen
tur: diuitiæ nanque vini naturam imitari solent,
nam cum quis ebrius factus fuerit, eo percussus hu
more qui in ipso præualet insanit. Si .n. bilis ultra
redundet, facit eū eo a mentis modo laborare. quo
hi quibus ea commota est laborant: reddit tacitu
rum, somnulentum, solitarium ita vt alio ium con
gressum, aliorum oculos effugiat, ac sibi sapere
maximopere videatur: sin vero flatu bilis tempera
tione viget, exciet illam vinum, vehementi calore
accendit, copiosoq; humore perfundit, ac in furorē
vertit: ita vt vltro alios aggrediat, iniurias, vim,
manus inferre conetur, sponte sese interdum præci
pitē dedat: ita omnes corporis temperationes p
illarum qualitatis ratione inficit, & corrumpit; non
secus diuitiæ hominum animos labefactant: inter
dum enim hi qui illis replentur solitarii fiūt, nemi
nem domi recipiunt, neminem admittunt, cōgres
sus aufugiunt, soli degunt, uictu arido vitam transi
gunt, aliis non modo non prosunt, sed etiam sibi ip
sis defunt, ut in lucro ponant quicquid quoquo pa

Ad habere possunt, idq; cautissime asseruent: timidi fiunt, omnia metuunt, semper de thesauris suis cogitant, rationes noctu ineunt, rationes interdiu colligunt, pecuniam meditantur, auri fulgor illis cordi est, argenti splendor menti obuersatur, quomodo lucrum, quomodo quantum facere possint animo peruoluunt: soli incedunt, Trapezitas adeunt, eos qui segerantur conueniunt, cum his versantur, cum his philosophantur, Cum his frequenter illis sunt contentiones, controuersiae, querimoniae, suis usuris vel potius sua ingluuie aliorum bona exhaurire nituntur: necessitate adactos ut se nori capiant pecunias, rebus omnibus modici temporis intervallo aucto segnore spoliare conantur, nulla commiseratione commouetur, omnes alios sua uellent pecunia indigere, ut maioribus usura & lucro questum facere possent. interdum uero tam audaces, tam temerarios efficiunt, ut si quae prospera, ac secunda fortuna opibus referserit, quem antea neque bubulum uoluisse, tanta exsertur superbia amentia, ut non nisi uentis iunima, & accerrima suauitate conditis, aruere uelit, preciosissimis indumentis circumamiciatur, lapillis splendentibus, auro, arteque insignibus ornatur, longo seruorum, ac familiarium ordine comitatus alios spernens, omnia praeter seipsum despiciens incedit: domi conuiuia frequenter celebrantur, non desunt opipare fercula apparatus, non desunt aues multo emptae precio, non desunt scorta, non desunt parasiti, non desunt mimi, non desunt musici dorium minime concinentes, sed lydiu quo ad luxurie pelliciant, uina massica, salerna,

B ii

signina, opimia, & quotquot celebratissima fuerint
non desunt: omnia luxus, appetitus, & libidinū in-
citamenta summo studio perquiruntur. nonnulli
profusis sumptibus liberalitatem exercere uidentur,
qui in copiosissimo, acque amplissimo patrimonio
nati hæredes, vel qui opulentissimi regni Principes
facti cum non homines modo deservatos habeant,
sed ne diuos quidem præ se villo pacto heredes
putent, munera affatim quibuscunque suarum tur-
pium voluptatum ministris profundunt: profusissi-
mas, atque insanas in rebus iniquissimis, atque obse-
quissimis impensas faciunt: cumque his arantibus ha-
serint vectigalia non ferenda imponunt, atque ex-
igunt, provincias, ciuitates, domos, deperciantur,
sana, & templa expilant, & tandem denique omnium
istarum insaniarum, ac furorum damna pauperes
refarcire, & penas ob aliorum culpas luere videntur.
diuites enim quoque pacto sese eximere & eas que
inde proueniunt molestias, vel vitare, vel repellere
illos esse incudes in quibus omnis durissima ac per-
niciosissima tundantur, illi omnes ita utopes
tus ferre putantur: ita ut paupertas in maius
da omnino videatur. Nonnullis indigemus, quibus
corpus cuius curam habere cogimur propter
eius imbecillitatem, sustentare valeamus: quam
obrem ut necessaria comparare queamus, pecunias
habere compellimur. Sed in paupertate summa
esse egestas, summa rei familiaris angustia existima-
tur; qua cum corpus afflictaur, animus quoque exas-
cerbari consuevit: multis urgeri malis pauperes vi-
dentur, æstus perpeti, frigora tolerare, famem per-
ferre,

ferre, sitī laborare, Quid : omnibus derisui esse spre-
ti repellī, eiīci, putantur, nou illis natura sensus des-
disse videtur cum his satisfacere posse non existi-
mentur, non oculis vt aliquid iucundum intuean-
tur, non auribus, ut uocum concordī discrimine, &
diuersitate queant oblectari, non manibus ut quæ
grata sunt obrectare ualeant, nō palato ut quæ il-
li dulcia, atq; amica sunt, gustare possint, non nari-
bus, ut quæ suauissimum afflant odorem olfaciant,
uerū seipios filios uel eos qui sibi chari sunt in sū-
ma inopīa indigētes, pānosos, squallore obritos cer-
nentes, fletus, lamentationes, querimonias audiētes,
ut quæstus aliquid faciāt uehemēter, & multo labo-
re insudantes, cibos graues, & iniucūdos nō solum
gustui ingratos, sed et quibus nec uires ipsæ reficiā-
tur capientes, in sordibus, & situ nidoris iacentes,
perpescendū egestatis spectaculū præbent: hæc
inesse in paup̄tate existimātes, & a sūma rerū omniū
inopīa nō distinguentes, humili, ac demisso animo
in mendicitatē incidere metuentes, q̄ uitare operæ
precium esse nemo potest inficiari, & facilius esse q̄
uel in diuitiis sese moderate, honeste, & temperate
gerere, ac continere, uel copias, & affluētes opes ius-
te conflare, quantum fieri possit illā cauere nitun-
tur, timoris cruciatu perculsi, uel uoluptatis sensu
capti, non ratione inducti, nō tam ut necessaria sibi
cōparare possint, quæ pauca sunt admodū quibus
natura queat esse contenta, quæ nec summa inopīa
laborantibus deesse solent, q̄ ut cupiditatibus mul-
tis quibus distinentur, & appetitionibus quibus cō-
mouētur satisfacere ualeāt, atq; ut ad eas explēdas,

aliaq; peragenda superfluentes aliena minime indi-
geant ope, & facultate, Hominis naturæ consenta-
neum esse putantes delinire animos, adhibere uol-
uptates, fouere sensus, non animaduertentes quod
quanto ab his animus magis distat, ac diuertit, tan-
to se in libertatem magis, qua nihil dulcius, uindicta-
cat, & nobiliorem, excellentiorem, atq; ad intelligē-
tiam alteram prudentiæ partem, omnemq; uirtutē
percipiendam paratiorem, ac præceptiorem reddit.
Atqui hæc adco inualuit opinio, quod pauperes a-
liorum auxilio, & ope egere longe magis quam di-
uites reputentur, & in omnium quasi seruitutem
dati existimentur, ut quisq; timore perculsus duris-
sima quæq; subeunda operæ pretiū esse arbitretur,
maximè sese periculis opponere oportere putet, ut
non solum inopiā, & indigentia non opprimatur,
uerum diuitiis abundet, atq; affluat copiosissimis:
quamobrem mercatura exercetur, mari immenso,
ac æstu feruenti committitur fragilis pelago rates
ad merces undiq; multas asportandas, multisq; que-
stus gratia impartendas, multi in militiam profes-
suntur ut stipendia mereantur, uel ut præda potian-
tur aliqua, seu aliis militaribus muneribus condon-
entur, quot discriminibus horum uita obiciatur
illis relinquo cogitandum, qui sapius eam exerce-
re, uel qui aliquando, ut sui periculum facerent eō
se contulere. Horum serè omnium finis est tales
se constituerent, ut nō solum proiecetas, atque effren-
natas cupiditates, & appetitiones explere possint,
uerum etiam ut aliena minime indigeant ope, & fa-
cultatibus, quas libertatis vindices esse arbitrantur.

At tamen quanto in errore versentur manifestissime poterunt cognoscere, si considerauerint, solum homines diuitiarum appetitionum, sensuum illecebrarum, & voluptatum, quæ ex nimiarum opum potentia percipi consueuerunt, sponte seruos fieri, atque hac homines conditione generatos, & sociatos esse, ut ipsi inter se alii aliis quam maxime, prodesse possint, & vnus alterius ope egeat, atque auxilio: Quod si quis aliquo accidere pacto posse arbitretur, ut quis in communione ciuili degens alterius ope, & opera non indigeat, valde mehercules decipitur, eis uero qui minus indigerint, melius euenire ego quocumque facile concesserim. At his qui comparandis, & gerendisq; opibus operam nauant, maxime est opus ut à multis adiuuentur. Siquis enim mercaturam facit, nauiculatorum, & nautarum fidei, fortunas suas committat necesse est, uel procuratoribus præbeat exercendas, uel vicariis concedat ad ministrandas, multa uecturarum periculo credet, multa seruis, multa amicis, necessariis, & aliis sine quorum opera mercatura exerceri non potest. Cùm nomina facta fuerint, patroni queruntur ad petendum, aduocati rogantur ad exigendum, iudices obsecrantur ad consequendum: si quis in priuatis negociis uersabitur, familiaribus fidat oportet, aliena utetur ope in agris serendis, in uillis colendis, bubulcos mittet, agricolas conuocabit, operarios conducet, uillicos præficiet. Quid de his qui sua agunt negocia, uel alterius procurant? nonne pro conficiendis alios consulunt, cum aliis negociantur, quos oportet sæpe conueniunt, optimates ad eunt, ianiz

toribus frequenter eo reuertentes negocium facerunt, tempora obseruant opportuna, fauorem expostulant, amicos interponunt. Et hi qui principes sunt Reges Imperatores summis diuitiis praediti quomodo possent aliena carentes opte degere, ne dicam imperare, aut regnare: magistratibus indigent, ut regere, ut in officio populos continere possint, propterea senatus consulitur, mittuntur proconsules, praetores, legati: quomodo tributa, uectigalia exigentur: nisi quaestores cogerent: quomodo urbes, ciuitates, oppida, castra, prouincias, portus, insulas tueri, ac conseruare possent, nisi vilissimus etiam quisque suam operam profiteretur, & cum aliis militum, & custodum munia obiret: & quanto opulentiores fuerint, tanto illis magis aliorum vires, consilia, & labores necessarij erunt, seu domi degere, seu foris agere decretum fuerit, multis illis opus est familiaribus, rerum domesticarum administratoribus, a secretis, a supplicum libellis, cubiculo praefectis, corporis custodibus, & alijs permultis quos enumerare molestum esset, usque ad eos qui abiectissimi homines sunt, quibus ut equos curent, vel ut patinas abstergant negocium committitur, quod si alieni labores, aliena consilia, alienae operae, illos non adiuuarent, non sustentarent, illico desinerent imperare: quot curis istos interdum confici putandum est, quot vexari cogitationibus, quot molestiis semper agitari: quod si omnes aliae deessent, haec vna angere, haec vna sollicitos habere, corque dolore cummulare deberet, quod totus eorum status, omnis dignitas, omnis honor, omnis amplitudo, diuitiae, orpes,

pes, aliena nitantur ope, opera, & voluntate: Princi-
pes ciuibus, vt regio nutus exercere, imperia gere-
re, possint, Ciuēs Principibus, vt maiestatem cōser-
uare, dignitatem retinere, iure inter se experiri, ac
suum quisque obtinere valeat, atq; hī militibus, vt
eorum robore, viribus, & fortitudine res suas tuta-
ri possint, vel alienas vsurpare queant, indigent, illi
ciuibus, & principibus, vt commeatum, vt sibi nes-
cessaria capiant, vt instruātur: illi armorum fabrica-
toribus, hī calceariis, calcearii coriariis, & denique
miles artifice, artifex mercatore, mercator agricola,
agricola operario, operarius domino, dominus ser-
uo, seruus domino indiget; nemo est itaq; qui alie-
nam opem, & auxilium non desideret. Verum enim
vero maiori fruetur ocio, magis se date, magis placi-
de, ac tutius vitam deget is, cui minor alienæ conti-
gerit occasio facultatis: Quod planē intelliget si
quis paupertatis cōmoditates animaduernerit, quæ
assidue noxa concutitur, nec quacunq; quanuis leui
aura, vt diuitiæ, in quibus casus, & fortuna plurimū
dominatur, agitur: nam hæ in nullo fermē statu
firmæ, ac stabiles solent permanere, sed vel in sum-
mam inuidiam adducentes acerbum odium excita-
re, grauesq; ac periculosas offensiones cōcitare, vel
vi rapi, vel dolo intercipi, vel fraude surripi, vel for-
tunæ temeritate, vel inimicorum iniuria labefacta-
ri: nam veluti in consequendo, ira etiam in conser-
uando ex aliena pendent facultate. Non sum nesci-
us quam sit difficile persuadere pauperiem aliquo
pacto posse in bonis numerari, Verū si diuitiæ ma-
xime parantur ne alienæ desiderentur opes, ne alie

C

na queratur facultates, utque summo frui ocio liber-
tate, & quiete valeamus, At contra manifesto appa-
reat ex his curas deriuari, molestia trahi, sollicitu-
dines strui, summa pericula creati, seruitutes impo-
ni, quis non illis paupertate iure anteponat: Cum ma-
xima ex hoc apud pauperes felicitas comparetur,
ut quis quanto minus fieri queat, nam omnino non
potest, altero egeat, atque indigat, utque honesto va-
leat ocio frui, ac potiri, quis melius, ac iucundius pos-
terit quam pauper? Cui sat est si tunicam habeat
tritam, qui paruo tenui victu, cultuque contentus est,
cui non seruis, non familiarium turba est opus: At
qui ego pauperes eos non appellarim, qui in maxima
mendicitate egestatem necessitate perferunt, volun-
tate, & animo sensuum proteruitate, variisque appeti-
tionibus irretiti in ea cruciantur, verum infelices,
ac miseros esse dixerim: Eos vero, qui affluentibus
fortunae bonis priuati aequo ferunt animo tenuita-
tes suas, pauperes copiarum inopia, diuites vero for-
titudine, animi magnanimitate, & virtutibus, quae
quidem in hoc hominum statu maximopere osten-
tantur asseuerarem. Cum natura proni sint ad ap-
petitiones explendas, ea quae ad hoc perficiendum
conducunt, cupimus, & querimus, ac multa quae his
esse impedimento videntur, propterea mala, quae uis
non sint, existimare solemus, eaque timore percussi
reformidamus: hanc libidinem, atque hos metus re-
pellentes fortitudine praestare merito reputamur.
Non est etenim tam difficile hostes superare, ex-
ternos expugnare inimicos, quam se ipsum vincere,
sensuum cupiditatibus, qui hostes sunt intestini
obstistere, easque deicere: nam qui uariis, ac diuersis

sentium illecebris sunt circumsepti, angoribus, sollicitudinibus, diurnis, nocturnisque metibus, ac pauperibus, qui sapientiam ex animo quasi expectorant urgetur, exeduntur: quorum animi acerbissimo ferui ac si iugo opprimuntur: dura quidem corporis seruitus esse existimatur, sed animi seruitutem potestremum malorum omnium iure censemus, illa vilissimo mancipio imponitur, hæc maximum Principem captiuum retinet, illa quamuis à natura sit aliena, hominum tamen moribus, & decretis est inducenda, hæc nullis naturæ institutis, nullis humanis legibus est inuecta, sed à vitiiis, & sensuum proteruitate infertur, à quibus longe magis est aliena paupertas, quæ voluptatum lænociniis non delimitur, cum his quibus allici potest careat: occasiones, quæ sese offerunt sæpe in uitia quasi inuitos detrudunt, commoditates & ocia in illis retinent, caue occasiones, uita commoditates, excute ocium, scelera minime circumstabunt, uerum si frangere animum ceperint, si menti obuersari, sensim immigrabunt, insistent, ac denique totum occupabunt: hoc paupertas discrimine caret, melius cauere ualet, magis tuta in sua simplici natura permanere potest, desunt illi ad minicula ad quæ valeat adniti, desunt illecebre quibus pelliciatur, desunt incitamenta, & blandimenta vitiorum, non pollet autoritate, qua depeculari, expilare publica, & priuata possit, qua fidem fallere, supplantare, circumscribere, decipere, iniuriis, contumeliis afficere, necare collecta gratia, vel non exigua pecunia valeat impune: caret facultate qua ganeis, libidinibus, luxuriæ, luxui, scortis, crapulis, vi

C ii

nolentiis indulgere queat, ita ut hac conditione tutius, melius, ac facilius ad honestos, sanctosque mores exerceri, & contemplationi rerum omnium nobilissimæ vacare liceat, cum procul sit ab his, quæ offi-
ficiunt, ac perturbant: negociis non impeditur, pa-
rasiti non obgannunt, mimi non obstrepunt, lano-
nes non euocant, perductores non intrant, turbant, des-
latores auribus non insufurrant, domus conuiu-
ii & ebrietatibus non perstrepit, omnia temperate mo-
derate, placide, sedate peraguntur: summo fruitur
ocio pauper, & animi temperatione, quiete, & liber-
tate: sunt enim diuites veluti mare, quod crebro,
quamuis tranquillum, ventorum uiguitari, ac tur-
bari solet: in quo motus fluctuum tempestates, &
procellæ cernuntur, at pauperes ut riuuli qui grato
per salebras murmure placide decurrunt. Quid
quod scientiis, & disciplinis præditi tanto ignaris
præstant, quanto homines uerè eos qui depicti
sunt antecellunt, nam literatorum actiones ab igno-
rantium operationibus eò differunt, quo ea quæ te-
mere, & casu fiunt ab his, quæ norma, regula, ratio-
ne, & ordine aliquo peraguntur: atqui longi tempo-
ris experientia obseruatum est, multo plures ad dis-
ciplinarum, & doctrinarum frugem pauperes per-
uenisse, quam diuites, ac tam paucos diuitiis prædi-
tos literarum studio excelluisse reperietur, ut fere
nulli in tanto illorum numero queant existimari,
quod si tam maiorum nostrorum, quam nostri tem-
poris eorum, qui se in literarum disciplinas, uel for-
tuna, uel consilio pauperes tradiderunt, mentionem
facere uellem, per multos, ac penè infinitos recensere ualere-

re ualerem, qui his summopere profecerunt, quorū
exempla pauca modo si proposuerim, & ea ueterū
doctissimorum, ac sapientissimorum viroꝝ, alia
aliis clarissima, & notissima disquirenda, & excogi-
tanda relinquam. Quis enim est qui Socratis Do-
ctrinam & Sapientiam prædicatione non extollat?
Quis Platonis eruditionem non admiretur? Quis
Pythagoræ scientiã: eumq; nō pecuniæ conficiendæ
causa, sed disciplinarū ac uirtutū amore peregrina-
tionis studio incitatū non prædicet? Quis Hippix
multarū rerū cognitionē, & notitiã nō laudet? Quis
Aristotelē, singulari ingenio, ac propè diuino, sciē-
tias, & disciplinas ad normam dirigentem præstare
non fateatur? Quis Isocratis prudentiam cum elo-
quentiã coniungentis gloriã non commoueatur?
Quis Thaletem Philosophos etiam scire si uolue-
rint dirari ostendentem? Quis Anaxagoram fami-
liaribus, pecuniis, & fortunæ bonis cedentem, eaq;
illis condonantem? Quis Anaxarchum humana
contemnentem, & corporis cruciatus spernentem?
Quis Diogenem vitam agentem Horridam, ac in
Doliū latebras sese coniciantem? Quis prothago-
ram cistas, & sportellas præ inopia circumferentem?
Quis Demosthenem tutorū patrimonium ipsius
effundentium fidem implorantem? Quis Herodo-
tum bis exilio mulctatum? Quis Homerum carmi-
nibus uictum queritantem? Quis Pindarum quod
Athenienses laudibus extulisset à suis ciuibus pec-
cunia mulctatum: quam pro eo soluerunt Atheniē-
ses? Quis Oppianos, Apollonios, Sophocles, Euris-
pides, Aristophanes, Menãdros, Plautos, Terētios,

Codros, Vergilius, Ouidius, Horatius, & alios huius generis innumerabiles literis, monumētisq; decorandos non arbitretur: ex quo conicere licet hanc hominum conditionem aptiorem, atque habiliorem esse, ad literarum scientiam capeffendam, quæ ad percipiendam, colendamq; virtutem adiuvat, quam ea quæ ad sensuum illecebras, & voluptates trahit, quæ'ue tot impedimentis tot molestiis obsidetur, oppugnatur, labefactatur. Multas habet Paupertas commoditates, multis quoq; opulentia abundat, vtræq; prodesse, vtræq; obesse valent, verum si quis rectè animaduernerit, tutius esse illud persequi, & in eo acquiescere, vbi minora insunt pericula, vnde minus animo detrimenti cōtingere possit, æstimabit.

BONVS



EVENTVS



ROMAE, apud Antonium Bladum
Impressorem Cameralem. MDLVI.

